



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.LXXI. Sancti Patris Benedicti. M.XCI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

deli sententia ad patibulum damnatus, in eoque suspensus, inde semivivus depositus, & in quatuor partes sectus, egregium spectaculum caelo & exemplum Ecclesiae militanti praebuit. *Ex Hist. Anglic. & Annal. nost.*

Labores suos hoc tempore, aeternitate merito immortaliter consecrat, & consulit serae posteritati Benedictus à S. Germano, sacri Casinatiss. Monachus, & ejusdem postea Congregationis Abbas, Latinae, Graecae & Hebraicae linguae excellens cognitione; cujus inter alia, quae doctissime scripsit, sequentia celebrantur:

Benedictus à S. Germano Mon. Casinas.

In Psalterium Hebraicum Commentaria.

..... Lib. I.

In Epistolas S. Pauli Apostoli Commentaria.

..... Lib. I.

Ejus ingenij monumenta.

In Psalmos Psalms Regij Commentaria Lib. I.

Tractatus de usuris. Lib. I.

Super Libros Perihermenias Priorum, Poster, de Anima Aristot.

In Libros Praedicatorum Disputationes varia. Lib. I.

Proverbia animalium: opus pulcherrimum

..... Lib. I.

De imitatione Marci Tullij Ciceronis. Lib. I.

Contra Calumniatores Apologia, &c. & plura alia.

Ad hunc usque annum produxit Historiam suam Georgius Cabillau Monachus Aldemburgensis, de re Historica optimè meritis, crediturque nunc vivere desuisse. *Sanderus in Scrip. Flandriae.*

Philippus Fantonus.

Floruit hoc eodem tempore Philippus Fantoni, Congregationis Camaldulensis Monachus, Philosophus insignis & Mathematicus, ejusdemque disciplinae, in publico Pisanorum studio meritis professor. Scripsit de modo reducendi annum ad suum legitimum numerum, librum unum & nonnulla alia.

Joannes Lontailleurus.

Meretur insigniter de re litteraria Joannes Lontailleurus celeberrimi in Gallia Belgica Canobij Aquiscinctini Abbas, excitato amplissimo, & pulcherrimo in Academia Duacena Gymnasio sive Collegio, in quo juvenus in optimis disciplinis informaretur, ut hoc ipso tempore non minus rudi quam crudo, & seditionibus turbatissimo, nostri litteras non solum propagarent, sed alerent, atque animarent. *Ex Fastis Belgicis.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LXXI.

Sancti Patris Benedicti. M. XCI.

Supremus hic annus est, summo summi Pontificis Pij Quinti, totiusque Romanae Urbis, nec non Regis & Regni Gallici luctu, Hieronymo Soucherio, brevi omnino Cardinalatus usu, quem honorem, uti admittit ægerime, ita deseruit libentissime, Numine procul dubio exorato, cum apud Pontificem nihil precibus proficeret. Vir fuit planè admirabilis, prudentiâ, ultra humanam praeditus, Zelo Religionis & disciplinae Monasticae primæva ferventissimus, Divinis rebus totus absorptus, carnis propriae hostis juratissimus, illecebrarum & pomparum omnium contemptor generosissimus, intentissimus animarum lucro, Hæreticorum malleus, pauperum, & Religiosorum omnium Advocatus. Verum caelo dignior, Romæ ereptus, ibidem in maxima sanctitatis opinione decessit, sepultus ibidem ad sanctam Crucem in Hierusalem; & hoc Epitaphio honoratus:

Moritur Hieron. Soucherius Cardin.

*Donno Hieronymo Socherio, Arverno, Parisiensi Theologo prestantissimo, qua Henrico II. Francisco II. & Carolo IX. Gallorum Regibus, Carolo Cardinali Lotharingo, bonisque omnibus eximie charus, Clarae-Vallis Abbas, in Tridentina Synodo, sententias doctrine, pietatis, ac prudentie plenissimas dixit. Inde Cistercij electus Abbas, ipsiusque Ordinis Generalis, à Pio V. Pont. Max. delatam absenti Cardinalatus Dignitatem, ut acciperet, vix adduci potuit; deinde in Urbem accitus, singulari opum atque gloria contemptus, & vite moderatione omnibus admirationi fuit. Vixit ann. 63. Obijt X. Cal. Novembr. 1571. Eo mortuo, Pius V. Miror summo opere, inquit, ad tanti Viri obitum, campanas Urbis non omnes ulro consonare. Idem Papa in Publico Consistorio super morte ejus ad Patres verba faciens: Uno extincto Socherio, ait, magnum lumen Ecclesia DEI amisit. Et quis S. Caroli Borromæi satis luctum, eo amisso exponet? *Ex Vita Pij V. Alph. Ciaccon. Petramellario, Hilarione de Costa, in Elog. Vir. Illustr.**

Epitaphium ejusdem.

Hoc ipso anno memorabilis ad omnem aeternitatem victoria è Turcis ad Naupactum reportata, Duce Joanne ab Austria, non sine praesenti Deiparae ope, ad preces ferventissimas Pij V,

Victoria Naupactica quibus a descripta?

verè

verè sanctissimi Pontificis, & sanctæ memoriae Ludovici d' Estrada nostri, cujus potenti apud Numen & Numinis Matrem suffragio Joannes Archistrategus, uti omnes etiam alios conatus suos enixissimè commendaverat, hanc præcipuè actionem commendatam voluerat, cæsa hostium viginti quinque millia, captis Tririmibus Turcicis centum & octuaginta, plurimis incensis & mensis, captivorum receptis viginti millibus.

Martinus Cupperus Abbas.

Claruit hoc eodem anno Martinus Cupperus, Mechliniensis Belga, ex Abbate Crispiniensis inter montes Hannoniæ, & Valencenas Canobij Episcopus Calcedonenis & Archiepiscopi Cameracensis suffraganeus, Vir doctissimus & religiosissimus. Inter Montserratenses eminent PP. Ff. Philippus de sancto Jacobo, Andreas de S. Romano & Joannes Carupmannus, Viri de Ordine meritisissimi, vitæque exemplo Illustrissimi. *Ant. de Jeyes. &c.*

Franciscus Debehaut Abbas.

Ipso anno extinguitur Franciscus Debehaut S. Dionysij in Hannonia Abbas meritisissimus, sanctæ memoriae Ludovici Blossij ferventissimus discipulus, Magistri tam sancti piè æmulus, Reformationis promovendæ studiosissimus, sibi rigidissimus, desiderans ad mortem usque ut viveret, & moreretur Novitius. Verè factus, ut ille juxta Christi monita parvulus, ut in coelis magnus evaderet. *Ex monim. ejusdem Canobij.*

Meditationum PP. Societ.

Evocatur ad superos eodem anno Ven. mem. centenarius Senex Nicolaus Trivisanus, meritisissimus Camaldulensis familiae nostræ reformator. *Ex cit.*

Iterum lectissimæ Societatis Jesu Patres ut proprii Ordinis, tractant nostri, commendant bono publico, & ipsi Fundatores agunt, Jacobus le Roy Archiepiscopus & Primas Bituricensis, ex Monacho & Abbate Doleni, & Joannes Niquetius S. Gildasij Abbas, insignis Patrum prædictorum Collegium, in Urbe Biturigunt exstruentes & fundantes, ut de sexcentis alijs nihil dicamus tota Europa, sive integrè petros fundatis, seu majorem partem auctis & dotatis. *Claud. Robert. Annal. Bituricenses.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LXXII.

Sancti Patris Benedicti. M. XCII.

Iterum de Societate Patrum Jesu, optimè merentur nostri, Balthasar imprimis, sancti usque hodie nominis, Princeps Fuldensis, qui eisdem Fuldam evocat, qui ipsius Capitulariumque gratulatione benignoque favore excepti, insigni deinceps Collegio accommodati, erectoque Gymnasio præfecti sunt. Conatusque deinceps Balthasar cum ijdem est, quidquid in eversionem Hæreticorum potuit; sed & quidquid erat, ad Cleri & suorum Religiosorum reformationem. *Annal. Fuld. Christ. Broweri &c.*

De ijdem meretur Balthasar Abbas Fuldensis.

Inter alios Christi Confessores merito censendus, perillustris Vir Martinus Cupperus Crispiniensis in Hannonia Abbas, Calcedonenis Episcopus & Suffraganeus Cameracensis hoc anno pro fide Christi exul, & in exilio mortuus, cum fidei causa, multa pericula & calamitates generoso animo perpessus, patrem tamen patriæ agere nunquam desisteret, ob ingentia merita, *Totius Hannoniæ singulare ornamentum & fulcrum appellatus, &c.*

Martinus Cupperus Abb. exul.

Fuit Venerabilis Ludovici Blossij nostri amicissimus, & Reformationis ejusdem sedulus promotor, cui ob amorem disciplinae Regularis Matthæus Moullartius S. Gisleni Abbas interea, dum hic Legatione ad Regem Hispaniarum fungeretur, suum etiam Canobium regendum commendavit. *Ex monim. utriusque Monast.*

Purpurâ sacri & Generosi Martyrum sanguinis ornatissimus hic annus, quo quantum Catholici & Religiosi imprimis, & plurimi Ordinis nostri, ab Hæreticorum in Belgio armis perpeffi sint, nemo satis explicaverit, nobilissimis Canobijs nostris, expilatis, succensis & funditus everfis ac Monachis miserè trucidatis, imo desideratissima Martyrij Laureola coronatis. Celebratur autem hoc ipso anno, inter alios præcipuè constantia R. P. Cornelij Poldersmann, Monachi sancti Salvatoris Antuerpiæ, sacrae Familiae nostræ Cisterciensis egregij syderis, qui Cirizæ, am Hollandiæ, ad ejus Canobij Regimen à Superioribus missus, multa ibidem strenuè præstitit, tandem verò Monachis omnibus vel occisis jam, vel inde profligatis, Cornelius mirabili

Cornelius Polderman Martyr.